

ab Adversariis agnitus, noctu per milites denuo fuit comprehensus, vincitus, verberibus ad cruentum usque, immo ad necem fere cæsus, ac tandem omnibus rebus spoliatus, Tyrnaviam per duos equites nudipes ducebatur. Quoniam vero scivit optime se Tyrnavia nunquam exiturum, si semel illic pervenerit; hinc priusquam eo fuisset deductus, secundante propositum summo fidelium custode, e militum manu feliciter evasit. Et quanquam longo satis tempore diligentissime sese cogebatur occultare; tandem tamen post benignissimi *LEOPOLDINI* Reuocatorii Mandati publicationem, officio Ecclesiastico restitutus, ad ultimum usque suum respirium eodem pacate fungebatur.

## §. V.

**H**as gravissimas Ministrorum Ecclesiæ in Hungaria persecutiones considerans Genitrix mea, Avi, Patris meæque destinatio ut plurimum renitebatur, alium quemcunque, præter Ecclesiasticum statum mihi commendans; attamen cum non solum Pater Avusque meus suo in proposito ad mortem usque persisterent immobiles; verum ego quoque ad annos discretionis perveniens, singulari prorsus ad huncce statum ferbar instinctu, propterea me etiam integrum

gre